

*Sinite utraque crescere usque ad messem.*

✠ Lécitio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

13, 24-43

In illo témpore:

- <sup>24</sup> **A**liam parábolam propósuit Iesus turbis dicens:  
«Símile factum est regnum cælórum  
hómīni, qui seminávit bonum semen in agro suo.
- <sup>25</sup> Cum autem dormírent hómīnes,  
venit inimícus eius  
et superseminávit zizánia in médio trítici et ábiit.
- <sup>26</sup> Cum autem crevísset herba et fructum fecísset,  
tunc apparuérunt et zizánia.
- <sup>27</sup> Accedéntes autem servi patris famílias  
dixerunt ei:  
“Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo?  
Unde ergo habet zizánia?”.
- <sup>28</sup> Et ait illis:  
“Inimícus homo hoc fecit”.  
Servi autem dicunt ei:  
“Vis, imus et collígimus ea?”.
- <sup>29</sup> Et ait:  
“Non, ne forte colligéntes zizánia  
eradicétis simul cum eis tríticum,
- <sup>30</sup> sínite útraque créscere usque ad messem.  
Et in témpore messis dicam messóribus:  
Collígite primum zizánia  
et alligáte ea in fascículos ad comburéndum ea,  
tríticum autem congregáte in hórreum meum”».
- <sup>31</sup> Aliam parábolam propósuit eis dicens:  
«Símile est regnum cælórum grano sinápis,  
quod accípiens homo seminávit in agro suo.

- <sup>32</sup> Quod mínimum quidem est ómnibus semínibus;  
cum autem créverit, maius est holéribus et fit arbor,  
ita ut vólucres cæli véniant et hábitent in ramis eius».
- <sup>33</sup> Aliam parábolam locútus est eis:  
«Símile est regnum cælórum ferménto,  
quod accéptum múlier abscondit in farínæ satis tribus,  
donec fermentátum est totum».
- <sup>34</sup> Hæc ómnia locútus est Iesus in parábolis ad turbas  
et sine parábola nihil loquebátur eis,  
<sup>35</sup> ut adimplerétur,  
quod dictum erat per prophétam dicéntem:  
«Apériam in parábolis os meum,  
eructábo abscondita a constitutióne mundi».
- <sup>36</sup> Tunc dimíssis turbis venit in domum,  
et accessérunt ad eum discípuli eius dicéntes:  
«Díssere nobis parábolam zizaniórum agri».
- <sup>37</sup> Qui respóndens ait:  
«Qui séminat bonum semen, est Fílius hóminis;  
<sup>38</sup> ager autem est mundus;  
bonum vero semen, hi sunt filii regni;  
zizánia autem filii sunt Mali;  
<sup>39</sup> inimícus autem, qui seminávit ea, est Diábolus;  
messis vero consummátio sáeculi est,  
messóres autem ángeli sunt.
- <sup>40</sup> Sicut ergo colligúntur zizánia et igni comburúntur,  
sic erit in consummatione sáeculi:  
<sup>41</sup> mittet Fílius hóminis ángelos suos,  
et cólligent de regno eius ómnia scándala  
et eos, qui fáciunt iniquitátem,  
<sup>42</sup> et mittent eos in camínium ignis;  
ibi erit fletus et stridor déntium.
- <sup>43</sup> Tunc iusti fulgébunt sicut sol in regno Patris eórum.  
Qui habet aures, áudiat».

Verbum Dómini.